formosa per castitatem. surge a lecto corporis. propera et veni vt ope-
ris. Hyems enim. i. tempus inertie recessit et tempus putationis h est
tempus laboris aduenit. Secundo vocat eam vt in ipso quasi in quodam
libro meditetur. vnde Can. 2. Surge propera amica mea sponsa mea
et veni columba mea in foraminibus petre et in cauernis macerie.
ostende mihi faciem tuam. Foramina petre sunt vulnera pedum et vul
nera manuum domini. cauerna macerie est hostium lateris ihesu xpi. In
hec ergo foramina et in hanc maceriam debet anima se transferre ut
ibi beneficia domini meditetur vt columba. Nunquam enim anima in hac vita
debet operari quin contemplari. Tercio vocat eam vt coronetur. vnde
Can. 4. Veni de libano sponsa mea veni etc. q. d. O anima que du-
pliciter es in libano et per cordis puritatem et per corporis castitatem ve
ni per fidem. veni per spem. veni per caritatem. coronaberis enim corona
glorie et serto exultationis. Quarto vocat eam vt secum delicietur.
vnde Can. 5. Veni in ortum meum soror mea sponsa mea messui
mirram meam cum aromatibus meis. comedi fauum cum melle meo
bibi vinum meum cum lacte meo. q. d. O anima que coheres mihi eris
tamquam sis soror que etiam consors sis regni mei tamquam sis sponsa mea
veni in ortum deliciarum mearum. Messui enim mirram meam cum aro-
matibus meis. id est congregaui illic electos meos qui tamquam mir
ra propter me dure passi fuerunt. qui etiam tamquam aromata bonum odo-
rem suorum operum modo diffuderunt. vbi etiam comedo et ad comeden
dum exhibeo fauum mee diuinitatis cum melle humanitatis mee. Ibi
etiam bibo cum electis meis vinum exultationis cum lacte materne consola
tionis. Modo dicendum esset quare ihesus dominus appelletur. sed hoc ad
presens prosequi non possumus. Rogate ergo predictum magistrum
pium ihesum vt sic simus imitatores sue humilitatis ac eximie cari-
tatis vt tandem nos participes faciat sue claritatis. quod nobis etc.

## Item in die sancto pasche sermo. xxxvi

Pascha nostrum immolatus est xpus etc. 1. Cor. 5. Beatus
Augustinus inquit in hodierno sermone. Nullum maius miracu
lum fecit xpus quam hoc quando pro tocius mundi salute cum suo oc
ciso corpore surrexit. Pascha hebraica lingua transitus esse dicitur. Igitur
fratres transeamus de viciis ad virtutes. de temporalibus ad eterna.
de caducis ad perpetua. studeamus ergo vt huic summe festiuitati do
minice resurrectionis intersimus. ne ab istis celestis leticie gaudiis
separemur. Nam ideo resurrectionem et alias solennitates colimus
vt in his animus superne patrie beatissimam festiuitatem cogitare

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iii-184/0345
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG